



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 73. Quæstio de Reformatione agitari cæpta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæc. XVI. *ria segregaretur, & duo fierent decreta.*
 A.C. 1546. *Unum, quo continua oratione sensus Eccle-*
sia exponeretur, & firmaretur: Alterum,
quo damnaretur, & anathemate fulminare-
tur doctrina contraria. Id Consilium om-
 nibus placuit: hinc mox duo illius ex-
 empla Romam mittebantur, cuilibet
 vero Episcopo unum ejusmodi exem-
 plar tradebatur, & Cervino Cardinali
 injungebatur, ut decreta, ac Canones
 conficeret. Interea usque ad mensis
 Januarii initium plures tam Præsulum,
 quam Theologorum conventus habe-
 bantur, in quibus præfatus Cardinalis
 hac super re cum singulis conferebat,
 ac cujusque sententiam exquirebat.

§. LXXIII.

Quæstio de Reformatione agitari
cæpta.

Pallav. l. 8. **H**aud quaquam a Patribus neglectum
c. 2. n. 7. fuit Reformationis negotium; præ-
Raynald ad primis enim proponebatur agendum es-
en 1547. n. 1. se de dotibus, quæ in Ecclesiæ Mini-
Massarel. in stris ad majores dignitates promo-
ad MS. dis requirebantur: verum hujus quæ-
arch. Vatic. stionis discussio eo consilio differebatur,
p. 53. ut lis de Episcoporum Residentia de-
 cidi posset. Porro jam ineunte mense
 Julio Cardinalis Montanus Patres mo-
 nuerat, ut obstacula, quæ circa
 Epi-

Episcoporum Residentiam obversarentur, sine mora discuterent: Turritanus vero Episcopus proposuit, quod satius esset certos Patres deputari, qui a singulis liberius illa colligerent: & Vigerius auctor erat, eos pro Nationum numero seligendos. At Montanus verebatur, ne id occasionem præberet ad peculiaria Patrum conventicula, & ad agendum per Nationum, non per capitum sententias, licet hoc foret contra id, quod fuerat constitutum, hinc respondit: *Nolumus, Synodum individuum in partes discindi. Si Nationis unius Antistites nobis simul proponerent incommoda, quæ suis in Regionibus experti fuerant, libenter aures dabimus: parati etiam sumus fidem nostram silentio obstringere, ut nec Pontifici quidem ullius nomen aperiamus.* Hæc verba, ut ex liberali moderatione prolata, ita cunctis, & Hispanis præsertim, plaudentibus excepta fuere. Aliquod igitur temporis intervallum effluxerat, usquedum de hoc argumento ageretur, ac nonnisi exeunte mense Decembri rursus hæc quæstio Patrum animos serâ sollicitudine distentos tenuit; interea vero non modo Synodi Patres, sed etiam Theologi circa controversiam de justificatione strenue desudabant.